



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1691. usque ad annum 1701

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 36. Innocentii XII. responsum ad hanc Gallorum Præsulum epistolam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67627](#)

Sæc. XVII., ea a vobis perpensa, & annotata,  
A.C. 1697., vestra egregia ad vicinos Belgas de-  
 creta demonstrent; nobis certe sufficit  
 „ad vestrum Apostolatum detulisse ea,  
 „quæ veritatem læderent, ac Patrum  
 „laudare sententias; quas Imajore gra-  
 „tia de Petri cathedra prædicatis..”

„Plures Episcopi subscrispsissent, nisi  
 „pauci sufficerent, ut ne ambitiosius,  
 „quam modestius agere videremur.  
 „Cæterum meminimus a S. Innocen-  
 „tio I. non modo Synodicas, sed e-  
 „tiam quinque Episcoporum literas,  
 „paterno animo esse suscepitas; atque  
 „ab Innocentio XII. paria expectari  
 „oportere, tanti Pontificis æquitas, ac  
 „paterna benignitas facile persuadet,  
 „subscrispsimus. ,”

### §. XXXVI.

#### *Innocentii XII. responsum ad hanc Gallorum Præfulum epistolam.*

*Argentre*  
*l. c. p. 400.* Acceptis hisce literis Innocentius XII.  
 Pontifex haud satis mirari poterat,  
 tam crassos errores a Viro pietate,  
 dignitate atque eruditione præstantissi-  
 mo divulgari, ejusque librum a S. Offi-  
 cio, aliisque celeberrimis Theologis  
 approbatum tot nævis scatere: cum  
 ergo haud ignoraret, quod non raro  
 nubes etiam Soli offundant tenebras,  
 ac

ac s̄epe rationem affectus obscurent, Sæc. XVII.  
hinc tanta in re nil præcipiti judicio A. C. 1697.  
decernendum ratus, Sfondrati opus ~~████████~~  
insignium Theologorum discussioni com-  
misit, idque præfatis Franciæ Præsu-  
libus die sexta Maij significavit, datis  
ad eos hisce literis.

*Venerabiles Fratres Salutem & Bene-  
dictionem Apostolicam.*

„Literas vestras VII. Kalendas Martii  
„proxime præteriti ad nos datas grato  
„animo accepimus, ex iis enim vigi-  
„lem, ac Sacerdotalem Zelum, quo  
„Sacros Antistites in partem Sollicitu-  
„dinis nostræ vocatos flagrare maxime  
„decet, in vobis vigere, vosque priscam  
„erga hanc sedem, cui nos, licet im-  
„meriti præsidemus, debiti obsequii  
„gloriam constanter retinere deprehen-  
„dimus: dum antiquæ traditionis exem-  
„pla servantes, & Ecclesiasticæ memo-  
„res disciplinæ, ad locum, quem ele-  
„git Dominus, ascendistis, ac ea, quæ  
„in libro posthumo bonæ memoriæ Cæ-  
„lestini S.R.E. Cardinalis Sfondrati de  
„divina Prædestinatione nuper edito,  
„reprehensione digna vobis visa sunt,  
„ad nostrum Apostolatum, eo serme  
„tempore, quo variæ Doctorum homi-  
„num, de eodem libro sententiæ etiam  
„per

Sæc. XVII. „per urbem ferebantur, detulistiſis, no-  
A. C. 1697. „ſtrum hac in re judicium ea, qua par-  
„est, reverentia deſoſcentes. Officii  
„itaque noſtri eſſe duciſmus, librum  
„iptions, resque a vobis in eo adnota-  
„tas, iſignium Theologorum diſcu-  
„ſioni committere, ut omnibus matu-  
„ræ Conſiderationis trutina perpensiſ,  
„quod juſtum fuerit, ſubinde decer-  
„nere valeamus: non alia profeſto,  
„quam crediti nobis divinitus mysterii  
„partes, ſicut oportet, implendi ha-  
„bita ratione: quod, ut etiam in aliis  
„omnibus, quæ ad onerosam Apoſto-  
„lici muneris noſtri curam pertinēnt,  
„exequi poſſimus, jugibus Fraterni-  
„tatum veſtrarum apud Patrem lumi-  
„num precationibus infirmitatem no-  
„ſtram juvari vehementer optamuſ,  
„vobisque Apoſtolicam Benedictionem  
„peramanter impertimur.„

## §. XXXVII.

*Ulteriores Jansenistarum motus con-  
tra Sfondrati librum.*

*Cauſſ. Quæſt.* **C**um autem Romani Censores judi-  
*pag. 225.* cium ſuum ferre cunctarentur, Jan-  
ſenii Discipuli hanc moram pertæſi pro  
arbitrio ſuo adverſus Sfondrati librum  
calamoſ ſuos exercuerunt, ac præpri-  
mis Hennebelus edito ſcripto quadra-  
ginta